



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Martialis Episcopvs. 30. junii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

si tantus honos sanctis in terra adhibeatur, quid
in Cælo? sanctorum virtutes imitemur, & quam
consecuti sunt gloriam, nos pariter consequemur.

S. MARTIALIS EPISCOPVS.

30. junii.

*Nihil intulimus in hunc mundum,
haud dubium, quod nec auferre
quid possumus. Paul. 1. ad Tim. cap. 6.*

NON mirum si tam mira præstitit hic
Galliæ Apostolus, qui duodecim An-
gelos habuit in ea convertenda adjuutores.
Miraculum certè ingens esse oportuit. Cu-
jus, vel solâ famâ moti, hominum mil-
lia quindecim, desertis idolis Christo se ad-
dixere. Factum tam fortè prodigium in Va-
leria Virgine quæ ob castitatem Deo jura-
tam, cùm sponsalia Aquitaniæ Ducis recu-
saret, decapitata ab irato fuit: at suis manibus
de terra sublatum caput truncata ad-
operantem sacris Martialem asportavit, qui
caput trunco, animam corpori, vitam vir-
gini momento restituit. Atque hoc multos
plurimos adolescens oratione movit, qui
à Sag-

à Sancto revocatus ad vitam, visa in inferis
annunciare iussus. Infernus, clamabat,
abyssus est sine fundo, ibi fletus, planctus,
mugitus, amaritudo, tenebræ, tristitia, de-
speratio, ibi frigus inexplicabile, ignis ardore
terribilis, magnitudine immanis, urens si-
ne fine, torquens sine corruptione, ibi
morsus serpentum, fœtor intolerabilis, pu-
tredo, miseria, vermis, qui non moritur, car-
nifices infernales in animas æternis crucia-
tibus sævientes. Et necdum aures tinniunt?
nondum pili horrent & surriguntur scele-
ratis? Barbaros hoc audire movit ad emen-
dationem: si Christo credentes non mover,
plus quàm Barbaros crede. Tu applaude O-
ratori, non manus collidendo, aut pede ter-
ram pulsando cum theatri plebecula, sed
cum S. Hieronymo pectus tundendo. Na-
dasi ex Matyrol. Gall. Susaj.

MEDITATIO

*Sola rectè facta comitantur nos in
alteram vitam & nunquam
excidunt.*

1. **S. MARTIALIS** sex mortuos revocavit ad
vitam, illud in hac parte, pro epi-
logo

Gg

logo, de fine vitæ tuæ disce, Sodalis Mariæ, nudi egressi sumus ex utero: nudi tumulum ingrediemur: quid bona congregas, brevi relinquenda? dic mihi quæso, quanti facies imminente morte, quæ nunc tantum amas? sequentur te bona, vel mala opera, præterea nihil. Quantum speras comitatum? an non vereris unum te ex illis fore, *Quid dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt in manibus suis?*

2. Tua malefacta accusabunt te coram divino tribunali. Quid dicurus es miser, si Testis conscientia tua stabit contra te? *Tu nos fecisti, opera tua sumus, non te deserimus, tecum pergemus ad iudicium.* S. Bern.

3. Et quid mundus Epitaphii loco tibi exsculpet pro omnibus operibus, quibus mundo serviisti? illud sibi scribi voluit Rex quidam Franciæ & est commune multis:

*Risi, ploro. Fui, non sum. Studui, requiesco.
Lusi, non ludo. Cecini, nunc mutio. pavi
Corpus, alo vermes. vigilavi, dormio. dixi
Salve, dico Vale. rapui, rapior. superavi,
Vincor. Multa fui vivens, moriensque nihil sum.
Munde vale, vermes salvete. Hoc disce viator.*

*breVIs è VIta haC eXItVs, æternItatIs Longæ
erIt eXorDIVM.*

Ergo.

*VIGILate, qVla nescItis, qVa hora DoMInVs
Vester VentVrVs sIt.*

Matth, 24. v. 42.

INDEX